



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 16. Fidei confessio circa Cœnam Possiaci tradita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

soluto hoc Bezæ fermone, Ministri publice nomine ceterarum omnium Ecclesiarum suæ fidei confessionem porrigebant, quam regnante Henrico II. in primo suo Conciliabulo Parisiis habito procuderant, ut jam alibi meminimus. Insuper quasdam alias Wittembergensium confessiones Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo nono factas tradebant: nunc autem perspiciamus, qua demum ratione suam doctrinam ex communi consensu proposuerint.

§. XVI.

Fidei confessio circa Cœnam Possiacci tradita.

„Fatemur, quod Jesus Christus in cœna
 „nobis det, & vere exhibeat corpo-
 „ris sui, & Sanguinis substantiam Spiritus
 „Sancti efficacia, & nos recipiamus,
 „& edamus spiritualiter, & per fidem
 „verum illud corpus: quod pro nobis
 „oblatum, & immolatum est: ut si-
 „mus ossa de ossibus, & caro de Carne
 „ejus, ad hoc, ut eo vivificemur, &
 „recipiamus, quæcunque ad salutem
 „nostram conducunt, & quoniam fides
 „verbo Dei innixa res receptas facit
 „præsentem, ac per istam fidem recipi-
 „mus re, & facto ipso verum, ac na-
 „turale Corpus, & Sanguinem Christi
 „virtute Spiritus Sancti, hac ratione
 fate-

Sæcul XVI.
 A.C. 1561.

Bossuet l. c.
 art. 94. p. 67.
 tom. II.

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

„fatemur, & agnoscimus Corporis, & Sanguinis ipsius in cœna præsentiam:„ cum vero Protestantes Ministri circa hunc articulum explicationem omnino confusam, prout re ipsa patet, sese dedisse cernerent, hinc sequentia addebant, *nulla locorum distantia posse impediri, quominus Corpori, & Sanguini Christi communicemus; quippe cum Cœna Domini res Cœlestis sit, & quamvis in terra accipiamus ore panem, & vinum, ut vera Corporis, & Sanguinis signa, tamen fide, & Spiritus Sancti efficacia mentes nostras, quæ hoc cibo pascuntur, in cœlum raptas Corpore, & Sanguine præseente frui, & hac ratione dici corpus vere pani conjungi, & Sanguinem vino, sed Sacramentali modo, hoc est, minime secundum locum, aut positum naturalem, sed quatenus efficaciter significant, Deum illa exhibere fideliter participantibus, illosque vere per fidem ea recipere.*

§. XVII.

Mutue, variæque quæstiones inter Episcopos, & Protestantes.

Thuan. l. c. Hanc fidei confessionem Protestantes ideo porrigebant, quia Lotharingus Cardinalis eos nil nisi quæstiones ex quæstionibus suscitare, in nullo autem convenire cernebat, quapropter huic malo obviaturus unice articulo de Eucharistia tamdiu insisti petiit, donec de